



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici  
Semestria duo**

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1675**

Cap. VI. De Photii Nomocanone, & compilationibus Ivonis Carnotensis,  
Alexii, Simonis, Arsenii, Blastaris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10224**

§. 8. eas apertè abjudicat Isido ro, quidquid Turrianus pro eis asse-  
rendis moliat. Quid? quod Dionysius Exiguus nullam facit  
mentionem Isidorianæ collectionis Epistolarum, ut ut suæ canonū  
collectioni Epistolas Decretales Pontificum Romanorum adjece-  
rit: Sed nec apud Leonem & Gelasium mentio earum exstat, qui  
tamen frequenter epistolas prædecessorum suorum laudant. Sed  
& prolixè id demonstravit David Blondellus in Pseudo-Isidoro,  
Adi & Dn. Conringium, amicū nostrum, *tract. de Orig. Jur.  
Germ. c. 16. p. noviss. edit. 77.* Hic Isidorus primus epistolas præscis  
Pontificibus à Clemente inde mangoniâ fraude supposuit. Quem  
Ἰσοδότος secuti reliqui compilatores fuerunt. Vide Marsil.  
Patav. *defens. pac. c. 2. c. 28.* Nicol. Cusan. *lib. 3. de concord. c. 2.*  
Ant. Contium *in annot. ad dist. 16. c. Septuaginta.* Centur. Magde-  
burg. *cent. 2. c. 7.* Blondell. *Pseudo-Isid. proleg.* Huc pertinent Ca-  
pitula Ecclesiastica Karoli M. Ludovici & Lotharii Imp. ab An-  
segiso & Benedicto Levita collecta ejusdem ferè ætatis. Et qui-  
dem collectio Canonum operâ Albini seu Alcuini & Paulini Epi-  
scoporum habetur apud Ansegisum *lib. 1.* Et in celeberrimæ Aca-  
demie Julie Bibliothecâ extare manuscriptam testatur divina-  
rum, humanarumque rerum scientissimus Dn. Hermann. Conrin-  
gius *tract. de origin. Jur. Germ. c. 24. pag. 61. ed. noviss.*

Capitula  
Karoli, Lu-  
dovici &  
Lotharii.

## CAP. VI.

### De Photii Nomocanone, & compilationibus Ivonis Carnotensis, Alexii, Simonis, Ar- senii, Blastaris.

#### S U M M A R I A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Photii laus, & nomocanone<br>ejusdem.           | 6. Brocardica.  |
| 2. Balsamo in Photium.                             | 7. Compilatio Ivonis.   |
| 3. Collectio Reginonis.                            | 8. Pannormia.   |
| 4. Regino editus à D. Hildebran-<br>do, & Baluzio. | 9. Synopsis Canonum Alexii, Ari-<br>senii, Simonis Magistri, Arse-<br>nii, Matt. Blastaris & c. |
| 5. Collectio Burchardi.                            | 10. Col-  |

**P**ostidea Photii Nomocanon locum vindicabit. Floruit Photii laus,  
Photius Nicolao I. & Hadriano II. Pontificibus, imperante & nomoca-  
in oriente Basilio Macedone, in occidente Karolo Calvo. nonis ejus-  
Quem Zonaras appellat *ἀνδρα τῶν ἐπισήμων πρωτοσηκῆ-* dem.  
*πρὸς τότε τυγχάνοντα ἐν λόγοις ὀνομαστότατον. Virum insignem*  
*primarium à secretis tunc ob eruditionem celeberrimum. Maximi*  
autem iste fuit Nomocanon totiusque canonicæ disciplinæ ele-  
menta continere creditus, quem jussu Emanuelis Comneni Imp.  
& Michaelis Anchiali Patriarchæ Constantinopolitani Theodo-  
rus Balsamon commentariis perpetuis illustravit. *Balsamo in*  
collectio canonum Reginonis Abbatis, qui cum se Trevirim in- *Photium.*  
monasterium Sancti Maximini recepisset, libros duos jussu Rat- *Collectio*  
bodi, Archiepiscopi Trevirensis, circa annum DCCCCVI. condi- *Reginonis.*  
dit. Hanc collectionem primus edidit Dn. Joachimus Hilde- *Regino edi-*  
brandus, tum Professor publicus in Academiâ Helmstadiensium, *tus à D. Hil-*  
Juliâ. Sed audio editam posthac à Dn. Baluzio, quem supra lau- *debrando,*  
davi, viro undiquaque celeberrimo. Post hunc secutus est Bur- *& Baluzio.*  
chardus, Wormaciensis Episcopus, quem Itali Brocardum appel- *Collectio*  
lant (*Et inde Brocardica volunt dicta, id est, regulas canonicas, Burchardi.*  
*quas Damasus vetus Juris Canonici Doctor conscripsisse dicitur, & Brocardica.*  
*Petrus Salunus Aquilius recognovit ex Manuscriptis exemplaribus,*  
*qui in præfatione libelli ita scribit:* Burchardica inscribuntur à  
Burchardo Episcopo Wormaciensi, qui primus ea tempestate cœ-  
pit jus Pontificium ad generales quasdam theses revocare. Quem  
exterorum plerique originationem verbi ignorantes, corruptè  
Brocardam & Brocardum appellant. *Sanè Burchardicas ejusmo-*  
*di regulas non dubitat appellare Cujacius in præfatione ad consulta-*  
*riones suas*) Henrici IV. Bavari Imp. temporibus, ut habet Sige-  
bertus ad annum 1008. simile opus compilavit continens libros  
viginti, secundum ordinem non temporum, sed materiarum di-  
stributum. Quibus supposititias primorum Pontificum Episto-  
las, cum selectis ex Augustino, Hieronymo, Gregorio & Isidoro  
locos adjicit, plurima autem Reginoni subduxit. Vide Censores

Gregorianos, *præfatione recognitionis suæ.* & P. Gregor. *partit. Jur. Can. tit. 1. n. 12.* Dn. Steph. Baluz. *præfat. ad A. Aug. emendationes. §. 18.* ubi addit: In libro de gestis Abbatum Gemblacensium auctorem collectionis Burchardicæ non esse Burchardum, sed Olbertum, Abbatem Gemblacensem, quo dictante & magistrante Burchardus magnum illud volumen canonum congeffit. Videatur Sigebertus ad annum 1008. & libro de scriptoribus Ecclesiasticis. c. 142. Habetur ejus epistola formata *can. 1. dist. 73.* Sequitur

*Compilatio Ivonis.*

*Pannormia.*

*Synops. Canonum Alexii Aristeni, Simonis Magistri, Arsenii, Matt. Blastaris &c.*

*Collectiones Latinorum.*

*Collectio Anselmi in dubium vocatur.*

*Magistri,*

*Arsenii,*

*Matt. Blastaris &c.*

*Collectiones*

*Latinorum.*

*Collectio*

*Anselmi in*

*dubium vo-*

*catur.*

quatur compilatio Ivonis Carnotensis Episcopi, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum circa annum MC. publicavit, qui duas fecit collectiones Canonum & Conciliorum, additis etiam legibus civilibus quibusdam, quarum altera Panormia dicitur, seu ut quidam volunt, Pannomia, quod omnes complectatur leges. A. Possévinus *appar. sacr. tom. 2.* Altera Decretum inscribitur, quam posteriorem quidam Hugoni Catalano tribuunt Ivonis Epitomatori. P. Gregor. *partit. d. l. c. n. 3.* Adeoque exemplo Johannis Scholastici & Photii, Nomocanonis instar, Jus civile cum Canonico comparare voluit. Sunt & compilationes aliæ apud Græcos Alexii Aristeni, Diaconi Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ inscribitur Synopsis Canonum: Simonis Magistri ac Logothetæ Epitome Canonum: Arsenii Monachi Hierosolymitani & postea Patriarchæ Constantinopolitani Synopsis canonum. Matthæus item Blastares Monachus, & Constantinus Harmenopulus. Apud Latinos collectio Anselmi Lucensis, Deus dedit, Cardinalis, qui *A. D. 1087.* scripsit, Gregorii Presbyteri, qui opus suum *Polycarum* inscripsit, & aliæ fortassis. Cæterum de Anselmo non possum facere, quin quæ habet Dn. Baluzius, ad verbum, sunt enim prolixiora, hinc adjiciam: Sæpe, *inquit,* laudari solet collectio Anselmi, Episcopi Lucensis, quæ usi sunt inprimis correctores Romani & Ant. Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis. Verum iste multum dubitare visus est de ejus Auctoritate, primum quia in vetustis codicibus, quos ipse vidit, nullus titulus erat, neque nomen auctoris: Deinde quia videbat nonnullorum illic Romanorum Pontificum decreta esse inserta, qui vivo Anselmo ad apicem Episcopatus non pervenerunt. *Et paulo post:* Multa sunt, quæ hanc

col.

collectionem abjudicare videntur Anselmo, Episcopo Lucensi. Primò auctoritas vetusti scriptoris vitæ ejusdem Anselmi, à Sebastiano Tengnagelio editus, qui lucubrationes magistri ac domini sui recensens, nullam collectionis istius mentionem facit, non omisurus, ut videtur, tam clarum opus, si tum fama fuisset compositum ab Anselmo fuisse. Deinde Sigebertus, Monachus Gemblacensis, horum temporum scriptor, dum in chronico & in libro de scriptoribus Ecclesiasticis enumeret libros ab Anselmo compositos, ne verbum quidem ullum fecit de collectione istâ. Denique Trithemius, qui tot libros viderat, non vidit collectionem Canonum ac decretorum Anselmo Lucensi Episcopo tributam, cum altum de eo silentium apud illum sit. Et post pauca: Ad eoque A. Augustinus collectionem illam non putans esse Anselmi, conjecturam fecit, de Hildeberto Cenomanensi, quem constat aliquid simile olim tentasse.

## CAP. VII.

## De Compilatione Gratiani.

## S U M M A R I A.

- |                                     |  |
|-------------------------------------|--|
| 1. Quinta Gratiani collectio.       | 8. Vocula, supra, apud Interpretes veteres.    |
| 2. Gratianus quis.                  |  |
| 3. Ejus decretum quando compilatum. | 9. Glossatores Decreti Hugonis.                |
| 4. Titulus decreti.                 | 10. Joh. Semeca.                               |
| 5. Monumentum Gratiani.             | 11. Bartolom. Brixienf.                        |
| 6. Vulgò quæsitus.                  | 12. Post decretum Gratiani secunda Decretales. |
| 7. Censura decreti.                 |  |

**I**Nter collectiones canonum Ecclesiasticorum, quinta est Gratiani, Monachi S. Felicis, Bononiensis, aliis S. Proculi, aliis S. Felicis & Naboris, familiæ Benedictinæ, qui natus est Clusæ, vel Clusis, Civitate Thusciæ. Arnoldus Duacensis Monachus in libro, quod *lignum vite* inscripsit, Gratianum Clusis natum, Monasticam S. Proculi professum & inde ad Felicis & Naboris transgressum, Decreta compilasse scribit. Adi & Sigon. l. 1. de

Quinta  
Gratiani  
collectio.  
Gratianus  
quis.  
Ejus. decre-  
Episc.